

H. Sax. J
135

J. Sax. Publ. Fass. ~~174~~ 74. 2

Fass. Publ. Sax. 2046

hist. titel. 783.

1382
PERILLUSTRI ^{ATQVE} EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

DOMINO
HENRICO

A BÜNAU,

POTENTISSIMI POLONIARUM REGIS
IN SUPREMO SENATU ECCLESIASTICO ELECTO-
RATUS SAXONIÆ PRÆSIDI, EIDEMQVE REGIÆ MAJESTATI
A CUBICULIS, PARITER AC JUSTITIÆ ET APPELLATIONUM
CONSILIIS, NEC NON SUPREMÆ CURIÆ
LIPSIENSIS ASSESSORI &c.

DOMINO IN DAHLEN ET DOMSEN,
VIRO DE RE TAM PUBLICA QVAM
LITERARIA MERITISSIMO

S. P. D.

EJUSQVE PATROCINIO ET JUDICIO SUUM,
HISTORIAM SAXONIÆ SIGILLIS ILLUSTRANDI,
INSTITUTUM

SUBMITTIT

ADAMUS FRIDER. GLAFEY, Jctus,
POTENTISSIMI SARMATARUM REGIS ET ELECTORIS SAXONIÆ
CONSILIARIUS AULICUS AC JUSTITIÆ, NEC NON
ARCHIVARIUS INTIMUS.

TYPIS, JOANN. GVIL. HARPETERI

1778

*Vir Perillustris atque
Excellentissimè,*

*Patrone omni reverentiæ cultu
suspiciende.*



Vi semel ad studia literarum animum adpulerunt, eorumque gustarunt delicias, ægre sibi temperare possunt, quo minus, variis licet reipublicæ negotiis districti, subinde horas succisivas, quas alii plerumque in facetiis atque conviviiis consumere solent, literis & librorum optimorum lectioni tribuant, ex quibus tantam sæpe voluptatem capiunt, ut refectionis loco hanc occupationem existiment,

);(2

& vix

& vix cum alio quocunque delectamentorum genere commutent. Scilicet ea humanæ naturæ indoles est, ut concatenata laborum series, nisi otio & quadam sensuum titillatione non nunquam dispungatur, animi & corporis vires ita exhauriat, ut homo ad res gerendas tandem reddatur inhabilis, mortemque acceleratâ operâ sibi ipsi consciscat. Quare necessitas suadet, ut, qui spartam suam ritè ornare, & reipublicæ diu prodesse cupit, post exantlatos labores, missis feriis, animum defessum oblectatione quadam erigat, atque reficiat. At vero dici vix potest, quanta in eo hominum varietas sit, ut inter mille vix decem reperiantur, quibus in uno eodemque voluptatis genere conveniat. Quæ cum ita sint, ac delectationum optio, si legibus actionum humanarum cæteroquin conformis suscipiatur, nulla fere alia præcepta admittat, dandum in eo aliquid est cujusvis arbitrio, nec culpandus, qui delicias quærit in occupatione quadam, quam alius non sine tædio subire solet, id quod libris & literis sæpissime contingere videas. Sunt enim, qui non nisi compulsi, aut sane ægerrime, ad librorum lectionem accedunt, cum contra alii, licet paucissimi, omnibus fere delectationibus nuncium mittant, inque voluptatibus sibi bacchari videantur, si doctis meditationibus, & librorum lectioni vacare liceat.

In

In exemplum, quod alii ad imitationem sibi proponere deberent, TE sisto, Vir Perillustris atque Excellentissime, utpote qui non solum supremo Ecclesiae in Electoratu Saxoniae Senatui summa cum laude & indefesso labore praes, Regimini-que Electorali ac Appellationum Collegio, nec non supremae Curiae Lipsiensi industriam Tuam pra aliis probas, sed & tot negotiis reipublicae, extra ordinem TVÆ dexteritati commissis, quotidie fere obrueris, ut interdum vix ad respirandum locus TIBI relinquatur, nihilominus tamen TE literarum tanta cepit voluptas, ut vix momentum temporis succisivi sine docta linea abire patiaris. Loqvuntur id, post viva testimonia, elimatissima scripta TVA, quibus rempublicam literariam ornare haud dedignatus es, secus ac alii, qui, doctrina qualicunqve & superficialia contenti, eruditas ejusmodi lucubrationes nobilitati gentis suae, imaginumque integritati dedecori habent, qui error tamen olim frequentior fuit, ac nostra aetate, qua nobiles homines, praesertim in Saxonia nostra, reliquos omni fere scientiarum genere, si non antecellunt, aequant tamen certissime. Monstrat in nobilibus suis Saxonia nostra praeter Politicos, non solum JCtos & Historicos, verum etiam Mathematicos,

ac Literatores &c. qui cum harum artium peritissimis de palma certare possunt, quos inter si TE, Vir Perillustris atque Excellentissime, antesignanum literis præ aliis propitium compello, nescio an cujusdam laudi aliquid detractum existimari possit. Si quid meum judicium valet, valere autem ideo videtur, quod non solum in illustrissimo Regiminis Electoralis Senatu, sed & in negotiis publicis, a Potentissimo Rege nostro Tecum mihi subinde commissis, de scientia TVA excellentissima novis argumentis quotidie coarguar, publice testor, me hæere adhuc in eo ambiguum: utrum major Jure Consultus sis in legibus ferendis, causisque privatorum dirimendis? an vero Juris publici & Historiarum elegantiorisque literaturæ scientia præstes? adeo æquali gradu, eodemque excellentissimo, omnes scientiæ hæ in TE conspirant, cumque prudentia, & singulari in rebus agendis dexteritate mixtæ sunt, ut discretu difficillimum sit, quæ reliquas antecellat.

Quæ cum ita habeant, meritisimoque supremi Ecclesiæ Senatus Præsidi vitio nonvertatur, quod lucubrationes suas publico haud invidet, licebit & mihi, ut paucissimas horulas, ex coacervatis laboribus

bus

bus mihi reliquas, in levamen animi, meditationibus historicis consecrem, quibus in doctrinam de Sigillis, multis usibus refertissimam, incidi. Cum enim in tabulario Regio, curis meis commisso, quotidie documenta publica, sigillis munita, manibus palparim, multaque notatu digna observarim, & quantum ad historiam indagandam hæc cerea monumenta faciant, animadverterim: Olivarii Vredii, qui de sigillis Comitum Flandriæ erudite admodum, & omnium cum plausu commentatus est, exemplo & industria excitatus, Historiam patriam sigillis illustrare, apud animum constitui. Ne vero soli mihi in eo sapere videar, priusquam ipsum opus aggredior, instituti rationem non solum TVO, Vir Perillustris atque Excellentissime, iudicio peracuto & sagacissimo submittere, sed & eruditis notam facere, eosque in simul, ut Symbolas conferant suas, ac sententiam de methodo adhibita eo liberius dicant, his literis publice invitare volui, debui, quam ob rem etiam totius operis delineationem exhibeo. Subsidiis equidem ex locupletissimo Regii tabularii thesauro jam sufficientissime instructus accedo ad rem, ut aliorum suppetiis minime opus esse videatur: Sed amplissimum campum, qui, ceu ex totius operis conspectu adparet, longe lateque patet, cum semel ingressus sim, seriemque historicam Regnatorum Saxoniae Sigillis prosequi mihi propo-

proposuerim ; facile evenire potest, ut lacunæ hinc inde restent, ad quas explendas eruditorum auxilia, ut implorem, necessitas urget. En igitur ipsum Operis Compendium !

Lib. I.

De Sigillis Regnatorum Saxoniae,
Thuringiae atque Misniae.

Cap. I.

OMisfis, quæ ab Heineccio aliisque de Sigillis generatim jam dicta sunt, ipsam tractationem aggredior, in qua, ad temporis seriem, primum Sigilla antiquissimorum Saxoniae Ducum ac Imperatorum ex Gente Wittichindea oriundorum se nobis offerunt.

Cap. II.

De Sigillis Ducum Saxoniae ex Gente Billingica.

Cap. III.

De Sigillis Ducum Saxoniae ex Gente Gvelfica.

Cap.

Cap. IV.

De Sigillis Ducum ac Electorum Saxoniae ex Gente Ascaniensi, qua occasione quaedam de Lauenburgensium & Anhaltinorum Sigillis dicenda veniunt.

Cap. V.

De Sigillis Marchionum Misnensium, antequam Thuringia cum Misnia in unitatem coit.

Cap. VI.

De Sigillis Marchionum olim Saxoniae atque Thuringiae.

Cap. VII.

De Sigillis Comitum Palatinorum Saxoniae pariter ac Thuringiae.

Cap. IIX.

De Sigillis Comitum Provincialium Thuringiae ex Winzenburgensibus.

Cap. IX.

De Sigillis Landgravorum Thuringiae ante unionem Thuringiae cum Misnia.

Cap. X.

De Sigillis Landgravorum Thuringiae & Marchiorum Misnensium ab Henrico illustri ad Fridericum usque belli-

):():(

bellicosum, qui primus Saxoniae Electoratum Genti
suae intulit.

Cap. XI.

De Sigillis Electorum ac Ducum Saxoniae sub Friderico
bellicoso & placido.

Cap. XII.

De Sigillis Electorum & Ducum Saxoniae ab Ernesto us-
que ad Johannem Fridericum Electorem.

Cap. XIII.

De Sigillis Ducum Saxoniae ex posteris Alberti usque ad
Mauritium.

Cap. XIV.

De Sigillis Electorum Saxoniae ex nepotibus Alberti us-
que ad Potentissimum Fridericum Augustum.

Cap. XV.

De Sigillis Ducum Weissenfelsensium, Martisburgensium
& Citizenensium.

Cap. XVI.

De Sigillis Ducum Saxoniae, ex posteris Electoris Johan-
nis Friderici oriundorum, per singulas divisiones ad
hodiernos usque Duces Vinarienses, Isenacenses, Go-
thanos,

thanos, Meinungenses, Hildburghusanos, Salfelden-
ses, aliosque, quorum stirpes jam extinctæ sunt. v. g.
Altenburgenses, Coburgenses &c.

Cap. XVII.

De Sigillis Judiciorum olim provincialium per Saxoniam,
Thuringiam atque Misniam.

Cap. XIIX.

De Sigillis curiarum provincialium, Lipsiensis, Wittem-
bergensis, ac Jenensis.

Lib. II.

De Sigillis Episcoporum, Prælatorum,
aliorumque Clericorum, qui Imperio Ele-
ctorum & Ducum Saxonix partim olim paruerunt,
partim adhuc hodie subsunt.

Cap. I.

De Sigillis Episcoporum ac Capituli Ecclesiæ Misnensis.

Cap. II.

De Sigillis Episcoporum & Capituli Ecclesiæ Martisbur-
gensis.

):():(2

Cap.

Cap. III.

De Sigillis Episcoporum & Capituli Ecclesiæ Numburgensis.

Cap. IV.

De Sigillis Abbatissarum Quedlinburgensis, Seuselicensis &c.

Cap. V.

De Sigillis Abbatum ac Præpositorum: Salfeldensis, Walkenridensis, Pigaviensis, Veteris Cellæ, Burgelensis, Sanctæ Afræ Misnensis, S. Thomæ Lipsiensis, Portensis &c. aliorumque.

Cap. VI.

De Sigillis Academiarum Saxoniae Misniae atque Thuringiae, Lipsiensis nimirum, Wittembergensis, Jenensis, Erfurtensis.

Cap. VII.

De Sigillis Facultatum nec non Scabinatum, qui tam in his Academiis, quam Magdeburgi & Fribergæ ab antiquo floruerunt, partim adhuc florent.

Cap. IIX.

De Sigillis Bajulatorum Thuringiae, nec non Commendatorum Ordinis Teutonici per omnes Saxoniae provincias, v. g. Griffstadiensis &c.

Cap.

Cap. IX.

De Sigillis quondam Commendatorum Ordinis S. Johannis per Saxoniam, Thuringiam atque Misniam.

Lib. III.

De Sigillis Principum, Comitum, Dynastarum, aliorumque, qui sub Saxoniae, Thuringiae atque Misniae Regnatorum ditioe olim floruerunt, partim adhuc hodie vigent.

Cap. I.

De Sigillis veterum Meraniae Ducum.

Cap. II.

De Sigillis Principum quondam Hennebergensium.

Cap. III.

De Sigillis Burggrafiorum quondam Magdeburgensium.

Cap. IV.

De Sigillis Burggrafiorum quondam Misnensium.

❧ () ❧ 3

Cap.

Cap. V.

De Sigillis Principum, olim Comitum de Schwartzburg.

Cap. VI.

De Sigillis Principum, Comitum de Mansfeld.

Cap. VII.

De Sigillis *Burggrafiorum*, v. g. Lisnicensium, Aldenburgenfium, Golsinensium &c. *Comitum* v. g. Kevernburgenfium, Orlamundanorum, Arnshaugensium, Lobdeburgenfium, Glichenfium, Bichlingensium, Reinsteinenfium, Rochlizenfium, Barbiensium, Brenensium, Glizbergensium, Groicensium, Wettinensium &c. *Dynastarum*, Qverfurtenfium, Heldrungenfium, Wildenfelsiorum, Ileburgenfium, Coldiziorum, Schenckiorum de Tautenburg, Blanckenhaynensium, Waldenburgenfium, Torgaviensium, aliorumqve, *quorum gentes jam extincte sunt.*

Cap. IIX.

De Sigillis Comitum Stolbergensium.

Cap. IX.

De Sigillis Burggrafiorum de Kirchberg in Farrenrode.

Cap. X.

De Sigillis Comitum Solmensium, in Baruth, Sonnewalde & Wildenfels &c.

Cap.

Cap. XI.

De Sigillis Mareschallorum Imperii, Comitum de Pappenheim.

Cap. XII.

De Sigillis Comitum Ruthenorum.

Cap. XIII.

De Sigillis Comitum & Dynastarum de Schönburg.

Cap. XIV.

De Sigillis Comitum & Dynastarum de Werter S. R. J. Janitorum.

Cap. XV.

De Sigillis Schenckiorum de Landsberg.

Cap. XVI.

De Sigillis Comitum, ac Baronum de Brandenstein.

Cap. XVII.

De Sigillis Equitum ac Nobilium Saxoniae, quorum familiae celebriores semper habitae sunt. v. g. Bunavio-
rum, Pflugiorum, Vitzthumiorum, Schömbergio-
rum, Einsideliorum, Mal- & Miltiziorum, aliorumque.

Lib. IV.

De Sigillis Civitatum Saxoniae, Thu-
ringiae atque Misniae.


Cap.

Cap. I.

De Sigillis civitatum Saxoniae, Thuringiae, ac Misniae celebriorum, quas ordine Alphabetico recensere liceat, nimirum Altenburgensis, Chemnizensis, Dresdensis, Erfurtensis, Fribergensis, Gothanae, Isenacensis, Jenensis, Lipsiensis, Martisburgensis, Misnensis, Mulhusensis, Nordhusensis, Torgaviensis, Wurcinensis, Zwickaviensis, aliarumque &c.

Habes hic, *Vir Perillustris* atque *Excellentissime*, totius Operis summa capita, ex quibus de instituti mei ratione, ut iudices, & si quid addendum forte demendumve videatur, moneas, est, quod & enixissime abs TE rogo, & ab omnibus eruditissimis, praecipue vero amicis meis, quorum in gratiam hoc breviarium prelo potissimum subjectum est, expecto. Vale.

Dabam Dresdae ipsis Calendis
Martii, MDCCXXIX.



Datum der Entleihung bitte hier einstampeln!

	FACHLEHRE	STAMP

III/9/280 JG 162/6/85

Hist. d. J. 135



[Small, blank white rectangular label]